



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **R. P. D. Ioannis Ivsti Lanspergii, Natione Bavari, Illvminati Ac Religiosissimi viri, Carthusiae Coloniensis ante annos centum Vicarii, & Magistri Nouitiorum laudatissimi Opera**

In Qvinque Tomos Distributa, à mendis expurgata, veteri integritati  
restituta, & indicibus locupletata

In Passionem D.N. Iesv Christi Homeliae quinquaginta sex, Theoremata  
viginti octo, totidemque sermones. In Monotesseron Praeterea Eivsdem  
Passionis Dominicae, iuxta Euangelistarum & historiae fidem, Elucidatio.  
Conciones ad Haec Paraeneticae in praecipuis anni & Sanctorum  
festiuitatibus habitae

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXVIII**

Iesus à falsis est testibus accusatus Art. & Hom. XVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47113](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47113)

Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo nihil enim humana sapientia, quæ est calliditas aut versutia, valet contra consilium Domini. Et certi sumus, eum qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cæli commorari. Itaque Dominus noster Iesus Christus ductus est de iudice ad iudicem, ut non timeant sui amici dum steterint ante reges & præfides propter nomen illius, nec solliciti formident quid loqui debeant. Ipse namque propterea ante iudicem tacuit, ut suis daret os & sapientiam cui contradicere nequeant omnes aduersarij eorum.

Psal. 117.

Psal. 90.

Matth. 10.

*IESUS A FALSIS EST TESTIBUS ACCUSATUS. Articulus XVIII.*

**S**ummi vero sacerdotes & omne consilium quærebant falsum testimonium contra Iesum ut eum morti traderent. Et non inuenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Multi enim falsum testimonium dicebant, aduersus eum: & conuenientia testimonia non erant. Nouissime autem venerunt duo falsi testes & falsum testimonium ferebant aduersus eum, dicentes: Hic dixit & quoniam audiuimus eum dicentem: Possum destruere hoc templum Dei manu factum, & post triduum aliud non manu factum reedificare. Et non erat conueniens testimonium illorum.

Matth. 26.

Marc. 14.

Lucæ 22.

HOMILIA XVIII.

**D**um in concilio staret Iudæorum Dominus Iesus, satagunt Iudæi summo opere inuenire, quo Dominum accusent. Eam ob rem multos adducunt testes, sed testimonia conuenientia nulla aderant. Hoc Euangelista dicit quoque. *Principes sacerdotum & omne concilium quærebant falsum testimonium contra Iesum, ut eum morti traderent: & non inuenerunt, etiam cum multi falsi testes accessissent.* Vides quia eum morti voluerunt tradere, ideo quæsierunt colorem, quo se fingerent id iuste facere, ut ipsorum celaretur inuidia. Neque enim quia inuenirent in Christo causam delictumve, propter quod morti esset obnixus, voluerunt eum occidere: sed quia volebant occidere, quæsierunt quo velamine malitiæ, quo ve figmento iustitiæ id possent. Dicis, cur ad eum Christo fuerunt infesti, ut vitam tantopere eidem tollere molirentur? Non ob aliud aliquid eum odio habuerunt, nisi propter veritatem & iustitiam, quam Christus constantissime tenebat, loquendo, docendo, viuendo. Ipsi verò mali, iniqui, impij, crudeles, iniusti, superbi, auari, ambitiosi atque dolosi erant: quare sæpenumero durè eos Christus arguerat, ideo super se permittere nolebant viuere meliorem, ne ipsi degeneres arbitrati, improperia sustinerent. Considera quod pontifices erant de tribu Leui, & pharisæi pro maiori parte de tribu Simeon, idcirco hoc concilium Iacob pater horum præuidens, dicit moriturus: *Simeon & Leui vasa iniquitatis bellantia, in concilio eorum non veniat anima mea, &c.* Considera secundò Domini innocentiam

Odio eum habuerunt Christum Iudæi.

Concilium hoc vti olim à patriarcha Iacob præuisum fuerit. Gen. 49.

Innocentia  
Christi qua-  
ta.

Ioan. 2.

Testimonia  
falsa quanti-  
laxerint  
Christum.

tiam magnam, quod ne ab inimicis quidem sagaciter quaerentibus inueniri potuit quicquam, quod accusationis haberet speciem. *Novissime duo venerunt falsi testes, dicentes: Nos audimus, &c.* Quare horum non fuit testimonium conveniens? quia mutaverunt & verba Christi, & sensum. Neque enim haec verba dixit Iesus, neque in hunc sensum locutus est, quem ipsi adducunt. Christus enim dixerat: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Ipsi eius verba pervertentes, mutant: *Nos, inquentes, audimus eum dicentem. Ego dissolvam templum hoc manufactum, & in tribus diebus aliud non manu factum aedificabo.* Volunt autem inde probare, quod rem homini impossibilem promittendo, Christus sibi diuinitate arrogaverit, & propterea blasphemaverit Deum. Quomodo dixi, quaerunt testimonium falsum, quia verum non habuerunt. Neque enim falsum quaerent, si accusationis quid, quod mali haberet specie, in se Christus habuisset. Vide quod hominem quemlibet falsa laedunt testimonia, de quo tamen scriptura dicit: *Omnis homo mendax.* quantum ergo putatis, veritatem ipsam accusationibus testimoniisque mendosis laedi?

*Mendacium falsumq, testimonium quam sint execrabilia.*

Mendacium  
& dolus qua-  
sint dete-  
standa.

Mendacium  
sophisticis  
locutioni-  
bus inesse.  
Eccl. 37.

Accusatio-  
nem nostri  
no esse pro-  
sus iniqua.

Testis falsus  
qua multis  
fiat obno-  
xius.  
Sapient. 1.

Matth 5.

Discimus hic mendacium execrari, & omnem dolum, haec enim qui fecitatur, veritatem negat. Sunt qui fallere semper nituntur, utentes verborum dolis & simulationibus. Cum enim ipsi verborum suorum & intellectum & sensum habeant clandestinum, iuxta quem verba eorum habere possint veritatem, non est hic idem sensus quem auditori infundunt, quemque ab auditore credi volunt: idem iuxta id quod intelligi aut credi volunt, prorsus mendacium est. Neque enim veritas ibi est ubi res de qua alteri loquimur, & de qua alius se informari expectat, falsitatem continet, licet in occulto aliquo alio sensu, de quomodo auditori non fit sermo, possit habere aliquam veritatem, de hoc scriptura refert: *Qui sophisticè loquitur, odibilis est.* Secundò admonemur, iniquarum esse accusationum patientes. Nunquam enim prorsus iniqua est nostri accusatio. Si enim in eo quo accusamur, non deliquimus: in alio quo nemo nos accusat, Deo peccavimus. Nunquam igitur innocentes sumus, Christus verò totus fuit innocens, & in omnibus innocens. Idem absque grandi iniuria, absque blasphemia, leuissimi cuiusvis peccati non potuit accusari.

Discendum quoque est, falsum testimonium dicentem, multis fieri obnoxium. Primum Deo, quia contra veritatem loquitur, & Deum qui veritas est, abiurat. Secundò obnoxius fit iudici, quem mentiendo fallit. Tertio innocenti, quem mentiendo impedit aut laedit. Quarto sibi ipsi, quia *os quod mentitur, occidit animam.* Quintò exigitur ab eo restitutio & satisfactio, quae raro fit. Neque enim de eiusmodi sufficit peccatis confiteri, nisi comitetur & satisfactio aut restitutio ei, quem laedit in rebus aut fama. Tertio nos consolari debet in huiusmodi detractionibus oblocutionibusve, quas patimur, Christi verbum quo dicit: *Beati eritis cum maledixerint vobis homines, & cum persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduersum vos, mentientes, &c.*